

|1r|

Dictata Philosophica

annotata in Collegio habitu super *principiis* Cartesii ~~dictata~~ a Cl. DD.
Johanne Claubergio SS. Theologiae et Philosophiae Doctore et
Professore in illustri Academia Duisburgensi

[...]

|5r|

§ 14 Quidam negarunt ideam Dei in nobis esse, sed hoc fit quia non intelligerunt quid sit Idea (per ideam autem intelligitur conceptus et cogitatio de Deo). Qui igitur negant se cogitari de Deo plus sunt quam Athei, quia Athei cogitarunt de Deo dum Deum (hoc nomen intelligentes) negaverunt. Sed illi sic convincuntur: si quaeritur ex ipsis 'an sit Deus?' tum debent responderi vel affirmando vel negando, vel dicendo si nesciunt. Si affirmant aut negant cogitant de Deo et eum apprehendunt. Si dicunt se nescire, hoc ideo dicunt vel quia nomen non intelligunt, sive quia rationis in utramque partem habent. Si ita habent, tum Deum intelligunt. Illi autem putant ideam esse imaginem rei faciendae.

Apud se habet vel actu, quando actu cogitat, vel potentia. Idea Dei ita est insita, non quod semper actu de Deo ratiocinamur, sed quod possumus.

|5v|

Unam esse vid. Exercit. 5 totam item. 31.

Praecipua Ideae enim de coelo, de terra, tollit etc. parvi momenti sunt, respectu cogitationis quam habemus de Deo. Tum etiam quod ideae habeant profectionibus ab ente vicario seu objectivo, nulla in nobis idea est quae nobis talem et tantam rem repraesentet quam hac.

Agnoscit in ipsa existentiam, non possibilem et contingentem tantum, quemadmodum etc. sed omnino.

Agnoscimus existentiam duobus modibus. 1. Quatenus existentiam cogitamus esse perfectionem. 2. Quatenus ponitur pro eo sine quo perfectio esse non potest. Haec verba ita sunt intelligenda: agnoscit in ipsa, in Idea seu conceptu de Deo existentiam non possibilem et contingentem, qualem res creatae habent tantum: Alioquin sic prima fronte videretur esse contradicatio, si sic non explicatur apparebit autem esse contradictio, et revera etiam esset si illa verba non possibilem et contingentem tantum, referamus da illa, agnoscimus in ipsa (sc. idea Dei) existentiam, hoc autem non est faciendum.

Necessariam et aeternam: quia igitur cogitatio mea est de ente summe perfecto, necessario etiam de ente aeterno. Argumentum pro existentia Dei vid. Exercitatio 1 et Log. pars 4 c. 12.

Concluderi debet – Talis est argumentum:

Quod clare intelligimus contineri ad alicujus naturam, id potest de ea re cum veritate affirmari.
Atqui clare intelligimus existentiam necessario pertineri ad Dei naturam.
Ergo possumus de illo cum veritate affirmare quod necessario existat.

Vel:

Quod continetur in alicujus rei idea seu conceptu, id ipsum de ea re verum affirmatur.
Atqui existentia necessario continetur in Idea seu conceptu Dei.
Ergo verum est Deum necessario existere.

|6r|

Major probatur inductioni.

Si esse animal continetur in idea hominis seu pertinet ad naturam hominis, tum potest affirmari homo esse animal.
Atqui. Ergo.

Quid est contineri in alicuius rei idea, sive conceptu?

R. Est essentialis rei esse, sive sit essentiae constitutivum, sive consecutivum, sive essentiam rei naturam constitutat sive eam necessario consequatur.

NB Pro exemplo de triangulo sumat exemplo de ternario. Sicuti in ternario necessario continetur unitas et binarius, sic in enti summe perfecto continetur necessario existentia, et sicut ternarium non possum concipere absque unitate (nam tum non esset ternarius) sic quoque ens summe perfectum absque existentia mens nostra concipere nequit, nam tum non esset ens summe perfectum, sicut ternarium absque unitate non est ternarius.